11630. c. 2
4

A D

C. W. BAMPFYLDE, Arm:

EPISTOLA POETICA FAMILIARIS.

Enter'd at Stationers-Hall,

Ad LECTOREM.

Cùm in manus tibi fortaſſe venerit poema quoddam Anglicanum, cui titulus, an Election Ball, *tabulas quinque ab Amico excogitatas, quæ perſonas iſtius poematis repræſentant, per ſequentem Epiſtolam tibi tradere volui: quam quidem Epiſtolam, unâ cum opuſculorum meorum faſciculo, ad eum nuper miſi; non tamen in publicum protuliſſem, niſi ut dèmptâ tibi neceſſitate atque tædio prædictum poema relegendi, Amici mei ingenium atque artem admirandi hac tibi ratione præſtarem copiam.*

C. A.

A D

C. W. BAMPFYLDE, Arm:

HÆC tibi, ridentis ſint qualiacunque Camœnæ,
Ad Cami ripas, aut flumina propter Abonæ
Quæ luſi, jucunde comes, cariſſime BAMPFYLDE,
Carmina habe: neque enim Te carmine dignior alter,
Sive animum, ſive ingenuas, bene quas colis, artes,
Aut gratum meditor, qui me tibi junxit, amorem.

Quin (niſi vana fides) cognato jungimur aſtro,
Adque hominum mores, geſtuſque, habituſque notandos
Mens eadem rapit, et ſtudio flagramus eodem,
Tu calamo tabulas animare, ego condere verſus:

Me tenet, et tacitâ tendit mihi barbiton umbrâ,
Sollicitoſque dies, obrepentemque ſenectam
Decipit, et leni recreat Polyhymnia riſu ;
Te tenet (et longum teneat) tua te quoque Virgo,
Quæ mutam exercet, ſimili cum laude, poeſin,
Parrhaſiique docet facunda ſilentia fuci :
At quanquam geminas ſimul ambit uterque ſorores,
Vota (nec invideo) tua Nympha benignior audit ;
Et colis ipſe tuam tantô ſublimior artem,
Quantô me ſuperas *capite, et cervicibus altis.*

Quàm juſtas tibi, quot rerum mens fertilis ultro
Suppeditat formas, atque ars tua dædala pingit,
Conſcia magnifici dicant nova mœnia Tecti,
Quâ ſeptem deni Charitum Venerumque patroni
Auſpicio Jovis, et Superûm plaudente coronâ,
Conjunxere pias in publica commoda curas ;

Et decus ob patrium, et ſtudioſæ pubis in uſus,
Conſtruxere ſacros CHARTIS FIDIBUSQUE penates;
Illic dum fauſtis ſubter penetralibus ambo
Sedimus, et tardas ſpectando ſumpſimus horas
Mirantes, quibus illecebris, quo ſidere felix
Baiarum ſedes, variis ex partibus orbis,
Tot ſibi ridiculas juvenumque ſenumque figuras
Colligit, (idem omnes nugarum futilis urget
Quos labor, atque eadem ſaltandi gloria torquet)
Rapta repente tibi, et facili veſtita labore
Induit in pulchram ſimplex ſe charta tabellam,
Multiplices inter formas, ubi proſtat Imago,
Quæ multo notat ad vivum mihi non ſine riſu,
Ut ſibi, qui patriæ [illegible] diit novus advena terræ,
Externo placeat cultu, concinnior ac nos,
Bellus Homo; cui curtato velamine tergum
Subtilique femur cinxit bombycine ſartor:
Demens, qui Superis ita ſe decoravit iniquis,

Ut dubiæ rapiant animum in contraria curæ!
Nam niſi fœmineis det Gallica jura catervis,
Et nivea oſtentet femoralia,—mortuus eſſet;
Quò tamen accedit propior, ſe longior aufert
Nympharum cuſtos anus, et tranſverſa tuetur,
Et faciles rident ſubter flabella puellæ.

Parte aliâ (turbam inſtantem quâ poſtibus arcet
Deductoque patet ſalientibus area fune)
Emicat, atque novos lepido conamine motus
Diſtorto ſudans exercet Homunculus ore;
Deprimit ille humeros; extento brachia collo
Incurvat; retrahenſque caput, libratus in uno
Stat pede, ſublimi dum crure recalcitrat alter,
Immodicùmque ſalit; quin ipſa ſalire videtur
Ad fidium numeros, agitato ludicra tergo
Cæſaries, caudâ quam fur peregrinus equinâ

Ereptam inſeruit tonſor, capitique dicavit
Pygmæo—Herculeæ monſtrum ſub imagine clavæ.

At quâ ſpectantem dulcedine gratia tangit,
Si te more juvat calami ſimulare faceti
Sideribus nocturna pares ad lumina nymphas?
Quarum ego cœleſtes aveam ſi dicere formas,
Aut varios, quos mane gerunt, quos veſpere, cultus,
Vix mihi lingua valet, vix ægræ in carmine vires
Sufficiunt—non ſi *Arbitrium* mihi *Deliciarum*
Det Deus ipſe loci, et *Lauro* me donet Apollo,
Sit mihi fas digno ore loqui, quos induit omnis
Turba habitus, *Veneremque* colit quo more *decentem:*
Quis fando celebrare poteſt, quis pingere verſu
Audet, ut Angelicæ ſeſe immiſcere cohorti
Ardeat ante diem, et cœli ſpatia ampla volatu
Icario ſuperare, Giganteoque triumpho?

Quippe gravi certatim omnes (mirabile viſu!)
Ædificata labore ferunt capita ardua, ſaxis
Æmula Pyramidum, quibus inſuper omnigenarum
Dant avium plumas, et verſicoloribus alis,
Sublimes membrorum artus ſibi velle videntur
Tollere humo, vivæque virûm volitare per ora:
At quanquam impatiens avet in *contraria* niti
Spiritus; atque animas *propriâ levitate* putandum eſt,
Et poſiti auxilio poſt tergum ſuberis, acres
Ire viam, et ſociis cum corpore jungier aſtris;
Vis gravior tamen, et caſſæ libramine juſto,
Segnes, et quarum vix eſt cœleſtis origo,
Particulæ, impediunt curſum, æthereiſque reſiſtunt
Principiis; quotieſque agilem dat fœmina ſaltum,
Et ſuperas crebro ſeſe impete tollit in auras,
Diſſociata locis ſubitô pugnantia ſecum,
Uno eodemque ſimul congeſta in vertice cernas
NON BENE JUNCTARUM DISCORDIA SEMINA RERUM:

Multaque *terrenæ* ſuperaddita materiâi
Incumbit capiti moles, retrahitque deorſum;
Nam neque matronæ ſpecies veneranda *decentis*,
Virginis aut teneræ, ſe dat mihi forma videndam,
Quæ non divitias omnes patris atque mariti
Crine gerit, ſata læta, boveſque, boumque labores,
Agros, agricolaſque, et ceu Berecynthia curru
Invehitur, populiſque caput mirantibus offert:
Utque decet pingues circumdare limite campos,
(Quæque ſub hirſutis latitant animalia dumis,)
Additur his, tenues ducens per ſingula gyros
Fimbria, quæ veluti ſepto complectitur uno
Omne ſolum, et totum claudit cum ſtercore fundum:
Ergo agite, O'nimiûm, Juvenes, nimiûmque beati,
Quorum virgineæ rapiunt præcordia formæ,
Et gravis urget amor thalamos intrare jugales:
Ite, Caledonium propero pede quærite littus,
Quâ parat hoſpitium, quà pandit amantibus aras

Tutus Hymen, ſpernenſque moras et vincula legum,
Continuo nutrit felices lumine tædas:
Ite, nec impediat miſerorum cura parentum,
Aut timor, aut ratio, ſpes aut incerta futuri;
Jungite quamprimûm dextras, et fœdera ſunto——
Quid refert, manibus ſi dos ſperata paternis
Hæreat, atque obulus loculo vix ſuppetat unus?
Quid ſi virginei media inter gaudia lecti,
VESTIBULUM ANTE IPSUM, PRIMOQUE IN LIMINE DIRÆ
APPARENT FACIES, queis ſe Judæus apella
Junxerit, immenſum argenti qui pondus et auri
Flagitat, inferno contriſtans omnia vultu?
Qui ſimul ac vacuas aſpexerit ære crumenas,
Centuplicique ſibi amiſſos cum fœnore nummos,
Obſtupet, et criſpat nares, refugitque velut ſi
Improviſo inter convivia ſanguinolentum
Obtuleris fartum, vetitive tomacula porci:
Vix tremeret magis, Hiſpanus ſi crimina judex

Quærat, et ipſe ſuam, ſpecie pietatis, obumbrans
Sævitiam, infernæ Rhadamantho fævior iræ
Damnet inauditum, et vocet in crudelia tortor:
Genua labant, infanda fremit, divellere barbam
Cum gemitu, et Chriſti gentem execratus iniquam,
Ejulat, horribilique *ſuum* vocat ore *Jehovam;*
Ejulet uſque licet, vobis datur Iſachidarum
Spernere fœnus, opeſque, et toti oppedere turbæ:
Quin rebus gaudete novis, et plaudite fato:
DOS EST MAGNA, CAPUT; quo ſoſpite, nunquam Hymenæos
Incuſet, neque vincla vocet crudelia conjux;
Scilicet urbanos ſtudeat ſi fœmina mores;
Alea ſi nudet; ſi vaſa, monilia, currum
Quadrupedeſque, domumque abſorbeat æs alienum,
Semper habet triſti quod det ſolatia fato,
Semper habet ſecum QUOD PIGNORET, unde perenni
Divitiæ ceu fonte fluant, CAPITIQUE mariti
AUREA diffuſo contingat COPIA CORNU.

Plura referre aveo, ſed mens audacibus obſtat
Inceptis, neque enim quamvis jocularia ridens
Multa loquor, vobis, O' caſtæ ubicunque puellæ,
Aut grege de Cynico, monitorve ſevcrus haberer :
Unum oro, hæc patriæ ſi quis malê carmina linguæ
Reddat, quæque legit, nunc huic, nunc imputet illi,
Nulla tamen propriam credat ſe cernere virgo
Effigiem, aut nimiâ cum libertate notatam
Seque ſuaſque putet ; nihil unquam tale nec auſus,
Nec potui : verûm O' qui vos hortarier audet,
Quique placere laborat, amico parcite vati :
Sæpe (fatebor enim) vidi, doluitque videntem,
Ut rudis, atque ignara, ſuique incauta pericli,
Dulcis, amanda nimis, ſimul has advenerit oras
Nympha, bis octenum cum vix ſuperaverit annum,
Juris læta ſui, veſtigia libera ducit,
Quâ trahit, inculpanda licet, ſua cunque voluntas ;
Figit enim lateri ſe protinus unus et alter

Ardelio, queis fœmineæ placuiſſe catervæ
Unum opus eſt, riſuſque juvat captare ſolutos:
His ignotus Amor: non tela Cupidinis unquam
Mollia, nec teneros ſenſerunt oſſibus ignes:
His ignotus Hymen: non connubialia quærunt
Fœdera, nec mentes ea tangit cura quietas:
Nam neque quæ terræ veluti Cynoſura Britannæ
Effulget, quæ cuncta regit, vitam ordinat omnem
LIBERTAS hæc vincla ſinit; niſi virginis omnes
Unius in dotem accedant, et jura mariti
Divitiæ, quas cæde rubens et ſanguine Eoo
(Gentis in Angliacæ opprobrium, exitiumque nepotum)
Dat Thameſi, ſatrapum rapto diademate Ganges;
Fœmineis, credo, tum denique, colla catenis
Subjicerent urenda; hac lege—ut menſis Hyænam*
Ad finem, rapiat mors—aut divortia læta:
Felices animæ! Venerem nihil amplius orant,
Quàm ſibi poſſe puellarum jactare favorem,

* NOMEN, apud elegantiores quoſdam, Uxori proprium.

Queis labor eſt ſervire, et mox ridere voluptas:
Quos inter (motâ quem vix ſine bile recordor)
Tithonos ætate ſenex, et Nèſtoras omnes
Qui ſuperat, ſimiliſque Hermippo veſcitur aurâ
Virgineâ, emeritus caſtra inter Cypria miles
Semper adeſt, ſemperque os objicit importunum,
Omnibus umbra locis, velut agmina picta volucrum
Infeſtat, triſtique interſtrepit omine bubo:
At bonus (ut fari mos eſt) et honeſtus habetur;
Scilicet internos animi qui condere ſenſus
Jamdudum, et vultus oſtendere novit apertos;
Quin morum expertus formis, et callidus uti,
Omnibus arridet, manſuetoque ore ſalutat
Nomine quemque ſuo; nunquam ſibi, vera loquendo,
Aut odium parit, aut caros offendit amicos:
Nil vile, aut vulgare ſapit, ſed ſtans pede in uno,
Cantores Italos, balatrones, et citharœdos,
Cunctaque nobilium percurrere nomina poſſit;

Adde puellares quôd nemo urbanior ambit
Compellatque greges, aut lautior accipit hoſpes;
Quis ſit, et unde venit, vel quo ſe nomine dicat,
Quærere vix opus eſt; me vate, *Johannulus audit
Curculio; nam ſæpe roſas et lilia circum
Vermis ut inſtat edax, florumque rubentia flatu
Labra venenato, creſcenteſque inficit herbas;
Seu nympham unda tepens, funambulus, auctio, mimus,
Orator, ſapienſve canis, mirabilis aut bos,
Simius, aut fidicen, nova ſcena, novuſve ſacerdos,
Aut alia invitant ſpectacula, (qualia felix
Monſtrorum ſine fine parens, Bathonia nutrit)
It comes, et quodcunque facit probat obſequioſus
Curculio, conſtanſque hæret, petulanſque ſatelles;
Sin agiles, ut ſæpe, choros audacior intret,
Infelix caput, et membris atque auribus impar;
Dum prior antevolat, fidibuſque citatior ipſis,
Dædaleos fugiens virgo implicat orbibus orbes,

* Anglice Johnny Weevil.

Huic comes, at longo ſequitur comes intervallo,
Membra levans tardâ vix deſudantia plantâ
Curculio, fidiumque petens fruſtrâ, ore, manuque
Conciliare moram, damnat tibicinas orco,
Orpheaque in medio, totumque Amphionis agmen;
Qualis ſi leporem prope ſylvæ anguſta moloſſus
Pinguior aſpiciat, caudâ micat, arrigit aures,
Quâdque poteſt, tardo inſequitur veſtigia paſſu;
Incerto donec deceptus tramite, linguam
Stat quatiens, vaniſque nemus latratibus implet;
Talis anhelanti ſimilis, ſimiliſque querenti
Stat ſenior, nequicquam avidos extendere ſaltus
Nititur, et ſparſos vix vi ſibi colligit artus;
Sin feſſo datur ulla quies, propiorque puellæ
Accedat, naſo ſudor dum liquitur, udam
Componit faciem, mollique tuetur ocello
Virginis os habitumque, et ſe quoque comis adorat,
Oraque perpetuo torquet rugoſa cachinno;

Ah! quoties, quas non nugas recitator ineptus
Garriet, aut nocitura dabit præconia fautor?
Interea virgo, ut credit, decorata *decenter*,
Captaque, neſcio quâ, fatuæ dulcedine linguæ,
Simplex, et vano correpta ardore placendi,
Nudato (niſi quâ ſtrophium det rarius umbram)
It gremio, juvenumque oculos ſi fortê moretur,
Compoſitis frænat caput in ſublime lacertis,
Et ſæpe ad niveum detorquet lumina pectus,
Sæpe tumeſcentes laterum retinacula contra
Cogit anhela ſinus, tereteſque reſuſcitat orbes;
Inſcia quid comitum putet invida turba, ſeveri
Quid fingant vates, anuumque ſeverius agmen,
Inſcia quot ſtultis movet inter pocula riſus:
Ah! demens, quid non muliebria pectora cogis
Laudis amor, moremque fames maleſuada ſequendi?
Hinc vaſtæ ut pandunt Zephyris apluſtria naves,
Totque trahens pictos, quot diſcolor Iris, amictus,

Pendula virginei de vertice ſæpe galeri,
Splendida vittarum ſeries datur ire per ora,
Perque humeros volitare—at non inſignia VIRGO
Talia, non iſtos poſcit ſincera colores
Forma, pudorque decens; hac ſola moretur in arte,
Has ſtruat (ipſa viros, heu! fallere docta viciſſim)
Illecebras, turba amiſſo quæ ſpreta pudore,
Caſſas luce faces, et primo perfida amori
Corda dolet, quarum Charites crudelia lugent
Sidera, Caſtaliaſque piget memorare ſorores;
Uſque adeo imbellem ſine lege tyrannica ſexum
Ambitio, vitiiſque exemplum imitabile torquet—
Quin ubi perpetuâ ceu turbine deliciarum
Volvuntur ſerie, inque orbem ſine fine voluptas
Acta redit, donec depreſſis debile corpus
Spiritubus, ſtudioque animus langueſcat inani,
Imbelles nimirum artus, et tenuia demum
Organa nervorum, levioraque fila queruntur;

Nunc vertigo tenet; tremere omnia viſa repente,
Confuſique rapi ſenſus; tinnitus in aure
Perpetuus; fixique imitatrix horrida clavi
Hyſterica inſequitur cephalalgia, frigora, ſpaſmi,
Deliquium: mora nulla,—accurrite Pæones omnes,
Poſcite quamprimum chartas, atque agmine facto,
Obſidione parate, et vi contundere morbum;
Et quantô magis ardet atrox, magis abditus, HOSTIS,
Tantô urgete magis; piluliſque boliſque latentem
Pellite: confeſtim validas in VISCERA vires
Vertite, deinde CUTEM, VENASQUE laceſſite, "SANGUIS
"MITTATUR,—"VOMITUS,—"VESICATORIA DENTUR,—
"DEINDE ITERATE CATHARMA; at ſi tot ſerre triumphos
Ægra nequit, tandemque ſubacto infirmior HOSTE
Debiliorque manet; *languore urgente ſubinde*,
CARDIACIS, ANTISPASMODICIS, HYPOCHONDRIACISQUE
Inſtaurate animos, atque hunc date protinus hauſtum——

Sumite millepedas—et cum fuligine furni
Stercora pavonis,—cranii quibus addite quantum
Sufficit humani,—sed non sine castoris, oro,
Testiculis—et (si quid olentius horridiusve
Concipitur) miscete,—graves date quotquot odores
Urinâque, fimoque, et tetris quotquot ab herbis,
Naribus humanis extraxerit olfaciendos
Chymicus igne labor: nil sicut olentia prosunt
Spiritubus:——Voſque o' quorum ſtant ſcripta *per orbem*
Nomina, queis *opifer* ſua munera Phæbus, et artes
Cum *titulis* dedit ipſe ſuis, quos ſcire latentes
Morborum docuit cauſas—et vendere ſuccos;
Concuſſâ (ut mos eſt) phialâ, nutuque ſagaci
(Nutricum tacitâ circûm auſcultante coronâ)
Juſſa date: at dictis pudeat vulgaribus uti;
Vim date ſermoni; patriam confundite linguam,
Gallica cum græcis, græco-anglica mixta latinis
Jungite verba, manuque ſimul ferte ociûs unctâ
Κλύσματα crinigeri terebinthina Pharmacopolæ:

At non Chirurgi, non Pæonis arte puella
Pharmacopolarum neque Κλύσμασι crinigerorum
Sublevat ægra caput; dulcis ſuper omnia ſaltus,
Saltus, Achilleâ ſanabit certior haſtâ,
Et quæ cauſa dedit morbum, dabit una medelam:
Si fidicen, medicove ſalubrior adſit amator,
Dilectæve vocent nota ad conſortia chartæ,
Huic ſubitô incumbit capiti cum pectine tonſor,
Spicula dans ferrata, et quæ nidore Mephitim
Exuperat, veteris ponit fundamina lanæ,
Congeriemque ſtruit: quantôque *infirmius* omne
Sit muliebre caput, tantô ſit ſarcina major;
Ergo cum pingui ponuntur oluſcula lardo,
Cepia, radiceſque, et qualia vix olitoris
Tempora ferre queant, enerves vertice nymphæ
Sponte ferunt calathis; aut horti penſilis inſtar
Innectunt frutices, totamque in culmine FLORAM
POMONAMQUE gerunt, et mox (ita ſi volet uſus)

Credo equidem, (ſed vos caſtæ ſanctæque priorum
Matronarum animæ, tumulis exite quietis,
Augurium prohibete)—gerent in fronte PRIAPOS—
—At non hæc humili gravia argumenta Camœnæ
Conveniunt, quæ Tu tabulis, et arundine Zeuxis
Rectius expedias: ſtudii hæc ego pignora teſtor
Ingenioſa tui; manus his tua qualia luſit
In tabulis, mihi quæ dederas, ego tradita miror;
Quæ ſpirare videntur, et hæc incondita ſolus
Carmina dum repeto, noſtris ut amabilis Echo
Reſpondere modis: quæ me mirâ arte morantur,
Exhilarant novitate; at non dulcedine ducor
Picturæ, non ingenio pictoris, et arte,
Aut novitate magis, quam munere tangor Amici.
Tuque adeo hæc operum capias ſimulachra tuorum,
Quæ tibi dat timidus ſignis imitatus ahenis
Seque per hanc chartam commendat parvulus *HIBBART;

*Sculptor apud Bathonienſes

Qui tua pygmæo pede ſi veſtigia ſervet,
Vix ita fida legens, quin paulum abludat imago
Exemplis, ſi debilior pars ulla tabellæ,
Aut tibi vix expreſſa ſatis videatur, honeſtum
(Qui tuus eſt animi candor) ne ſperne laborem;
Libera ſæpe etenim pictoris dextera profert
Quas ſculptor nullâ arte poteſt attingere formas,
Contractis neque conſtat honos, aut ſpiritus idem:
Si vix antiqui Lyſippum nominis æquet,
Aut RYLAND hodie non inferiora ſecutum,
Haud tamen exercet graphicas inglorius artes,
Judicio noſtri (qui me ſibi ſemper amicum
Moribus, ingenioque, ut te quoque fecit,) Apellis,*
Nec quo candidior laudes aut lætior alter
Promovet alterius, propriaſve modeſtior audit.
Quare age, nec ſpecies te non delectet inepti
Delirique ſenis, qualem exhibet ambitioſus,

* GUL: HOARE, pictor egregius.

Garrulus, abnormis, ſimplex, uxorius INKLE;
Qui natæ ingenio nil non indulget amatæ,
Et quodcunque facit, vitæ ſtatione relictâ,
Nobilium ad normam, præclarum et amabile ducit;
*Dumque comas, fronti quondam ornamenta paternæ,
Et capiti (dum fata dabant) venerabile tegmen,
Canum, auguſtum, ingens, criſpum, neque pectinis expers,
(Emeritum tamen, et tineis, et muribus eſcam
Jampridem) mulcere avet, et recreare comando
Filia, datque ſuis hoc enarrabile monſtrum
Crinibus, et rapti caudam ſuper omnia galli
Figit ovans, ſubtile ſenex et fertile adorat
Ingenium, fatuæque exponit ſingula ſponſæ;

En! fugit impatiens, dum ſola ſubucula veſtit,
Atque avis infauſti (quem crure ancilla coercet
Luctantem, et nudo nequicquam clune querentem)
Rite locat ſpolia; en! cathedræ lapſura cadentique

* Vide *Election Ball*, Pag: 33

Aſſidet aſſimilis! parti monumenta triumphi
Ordinat, ipſa ſuæ vix credula MARGERY formæ!

At pater interea ſtudio properare ſenili—
Acrior ardet abire, et quid nos detinet, inquit,
" Nemone lecticam feret ociûs? ite, vocate—
" Tota coit jam turba, chorique epulæque parantur"—

* Vide *Election Ball*, Pag: 35.

—En! præſtô eſt lectica—ſed haud ſine numine Divûm,
Incolumi crine, et ſalvis tot MARGERY plumis,
Inſinuare nates, caput aut intrudere poſſit—
—Pulvinar removete—ha!—nunc ſe accommodat aptê—
Jam collecta ſedet! ſed vix, me judice, pulchrum eſt,
Aut juſtum atque decens, ut nudo tradita ligno
Pars poſtica luat, ſtulto pro vertice, pœnas:
Prodigium attonitus tamen obſtupet, et probat INKLE,
Et dura in riſus dat lecticarius ora.

C.W.B. del. W.H. ſc. Pub. 30 Dec. 1776 by C. Ansley as the Act directs.

* Vide *Election Ball*, Pag: 45.

At cui non animum ſenis infelicis imago
Commovet? en! ſeſe ut cruciet, dum prodiga ſellâ
Invehitur natą, atque oneroſos jactat honores!
Heu! pater infelix baculis veſtigia binis
Suſtinet, et tardo molimine vix trahit ægrum
Ipſe pedeſter iter! - - - - - - - - - -

- - - - - - - - Vos hîc advertite mentes,
Hîc oculos, vos o' ſobolem quos prava fovendi
Cura habet, et moniti meliora, cavete parentes:

* Vide *Election Ball*, Pag: 47.

Cernite quâm duro ſubmittitis ora capiſtro,
Quid faciet, quid non avidis promittere votis
Audebit, quoties laſſatæ tædia vitæ
Augeat, heu! veſtræ ſpes ſera, et ſola ſenectæ!
Diſcite quâm nullâ ſunt vi, nullâ arte domandi
Effreni juvenum affectus, quos auxerit ætas
Fortior, et quorum per corda ſuperbia præcox
Paſcitur, et tenero quibus indulſiſtis ab ungui.

Voſque ô quos vano laudum ſuccendit amore
Ambitio, veſtræ toties contraria ſorti,
Ridiculum ſpectate ſenem, dum comis haberi
Urbanos inter cœtus, procerumque catervas,
Diis ſtudet invitis, tardâque morante podagrâ;
Et quot ſartorum numerat ſuffragia jactans,
Quotque ſenex HUMPHREDUS habet POTWOBLER amicos,
Vaſtum neſcio quid, longâ cum ambage, minatur!
Tandem magnificum promens NIHIL, ut pariens mons,
Dat falſo ſatrapæ cauto promiſſa ſuſurro,

Qui, veluti nautam rupes Marpeſia, curat
Nil verba aut voces; oculo ſed ſæpe retorto,
(Aulicus ut mos eſt) hominem veneratur, amatque,
Faſtiditque ſimul;—pinguem ſenis aſpice vultum;
Vah! caput ut fatuo ſuſpenſum promit hiatu,
*Attollitque humeros, naremque expandit obeſum!

C. W. B. del. W. H. fc.

* Vide *Election Ball*, Pag: 48.

Fortunati ambo! ſibi plaudit uterque viciſſim;
Votivæ mercedis ovat ſpe credulus INKLE,
Emunctum ludit PERYWINKLE—*Gratia* quid non
Gratia ſola poteſt?—terris tamen hæc procul abſit
Gratia ab Angliacis, atque hoſti Numina donent:
Ruſticitas patrum redeat ſincera, nec unquam
Talia det *Nato* SATRAPES præcepta BRITANNUS.
*O' ſalvete ambo, ſubmiſſo poplite comes!
Bis ſalvete iterum! pictoris vivite chartâ,
Vivite verſiculis (*hæc ſit mihi Gratia*) noſtris.

C.W.B. del. W.H. f.

* Vide *Election Ball*, Pag: 49.

Hæc tibi, ſive aliud, numeris dat muſa jocoſis,
Tu poſcis ſubitô tabulas, interque bibendum,
Aut horam nugis dum fallimus, (ut magus) omnes
(Quæ mihi per denos dederant faſtidia menſes,
Et multo ſudore tuli, pariente cerebro,)
Cernere das chartâ, calamo currente, figuras;
Parva loquor: ſeu te Solis nova tangit imago,
Cum primûm argento veſtit lux alma nitentes
Auroræ lachrymas, ſeu fervidiora diei
Lumina, cûm rutilos ſpargit flagrantior ignes,
Seu roſeum cœli decus, et fœcunda colorum
Nubila, cûm placidâ ſe majeſtate reponit:
Seu ſtellante polo, gliſcentia nocte ſilenti
Marmora, ſeu mare navigerum, ſeu turbida raptat
Naturæ facies, cûm præpete ſylva procellâ
Ingemit, attonitique coruſcant fulgure montes:
Seu gelidum nemus, aut liquidi prope flumina Thoni,
Arcadii invitant, quos incolis ipſe, receſſus,*

* HESTERCOMBE, in agro Somerſettenſi.

Quæ tibi cunque ultro ſe dant ſpectacula rerum
Artifici pingenda manu, capis omnia fido
Luminis intuitu; certâ ratione modoque
Cuncta notas; ſemper ſibi convenientia ponis
Ordine quæque ſuo; ſemper capit ars tua ſecum
Naturam, calamique ducem, comitemque laborum.
Fallor? an eximiæ dum paſcor imagine chartæ,*
†(Quâ caput infelix prima ad convivia Virgo
Nudatum dolet, et flores, plumaſque, comaſque
Uno eodemque rapit crudelis Mulciber igne,)
Plurima ſponte ſuâ tabulis expandere forma
Membra Prometheo paulatim animata calore
Nititur, et ſenſim exiles arceſſere vitas?
Fallor? an irarum furiis ſuccenſa videtur
Tota cohors, oculoſque in me jactare feroces
Torva tuens, atque ore minacia verba puſillo,

* Aliam intellige picturam, quæ ſaltationem et convivium deſcribit: quæ tamen pictura, tabulis æneis nondum committitur.

† Vide *Election Ball*, Pag: 62.

Ceu Pygmæa manus, Lemurumve minutior ordo,
Certatîm elicere, et tenues expromere queſtus?
" Ah quid agis? quis te juſſit, maleſane, Deorum,
" Linquere ranarum patriam, Bæotica Grantæ
" Littora, et hos Charitum dulces temerare receſſus?
" Quis Deus? ah! quæ te Divis dementia major
" Impulit, antiquo rurſûs te accingere ludo,
" Inſolitumque lyræ numeris aptare latinæ,
" Jampridem reſides chordas, deſuetaque plectra?
" Scilicet, ut ſuaves Baiarum ad flumina nymphas
" Tutiûs ignotâ tibi carpere voce liceret,
" Improbe, ludibrioque ſacratas vertere ſedes,
" Quas Amatho, Cyprique jugis, et valle Cytherâ
" Poſthabitis, colit alma Venus; quâ te quoque dulces
" Fata ſinunt habitare domos, ubi nulla Leonis
" Ira, æſtate, furit; neque fœta hyemalibus auſtris
" Circum flabra tonant *CRESCENTIS CORNUA LUNÆ:
" Quâ nullis, *ingrate*, licet tibi *caulibus* hortus

* Nobile apud Bathonienſes Ædificium.

" Germinet, aut *olerum* delectet *copia* nares,
" At tibi sæpe tuas gradientes ante feneſtras,
" Thurea dona Arabum, et divinos veris odores
" Spirant *ambroſio* redolentes *pulvere* nymphæ;
" Quotque gerunt frutices, et quot ſunt vertice plumæ,
" Tot Linguæ, totidem ora ſonant;
" Abſit, ut æternos poſcat ſibi ſolus honores
" Amphion Dircæus, (Echionias licet arces
" Suaſit inire choros, lepidaſque ſalire columnas,
" Eloquio fidium, citharæque canore facetæ)
" Condita ſi mimis, tonſoribus, et citharœdis
" Mœnia contempletur IONICA, qualia toto
" Vix quateret SAMPSON molimine, quæ tamen uno
" Circuit amplexu, rapuitque tenacibus ulnis,
" In parteſque trahens, nunc huic, nunc tranſtulit illi,
" Dimidiumque dedit ſemper *ſibi*, Cauſidicûm grex.
" Tune ſenum mores, tu vitam pubis inertem
" Objicis, Hîc ubi Pieriâ ſub valle tepentes
" Surgunt SOLIS AQUÆ, puro de fonte ſalutem

" Quâ datur, et SOPHIÆ ſacros haurire liquores?
" Abſit ut oſtentet, regum ſator, oppida Cecrops,
" (Queis vovit Neptunus equum, queis Pallas olivam)
" Pæonis ad latices, atque hæc juga propter amœna,
" Luſibus, et choreis, epulis, mediciſque dicatas
" Si recolat ſedes, *ægro* quibus auſpice *porco*,
" Augurio meliore, dabat fundamina BLADUD;
" Nam neque laude magis ſylvæ viguere Lycei,
" Socraticæve domus, nec amabile flumen Abonæ
" Calliroes undis, aut dulci cedat Ilyſſo:
" En! cuicunque datur dilectæ cura Iuventæ,
" Area quanta patet, formanda ad corda per artes
" Spartanas, ſenſimque ad pulchra, et honeſta trahendum
" Ductilis ingenii flumen, menteſque ſequaces!
" Has etenim ſedes, non luxus, et improba Syren
" Deſidies intrare audet; quot probra piorum
" Quot clara ante oculos morum exemplaria ponat?
" Cerne, quot illuſtres circumſtant undique, et aptis
" Invitant juvenem ſtudiis, hortantur, et ultro

" Dant præcepta SOPHI! veterum qui more Sophorum,
" Si neque divitias, neque jugera pinguia jactent,
" Queis *DOCTRINA tamen, potior terrâque, domoque,
" Suppeditat quodcunque volunt; nam Pallas amicam
" Sæpe miniſtrat opem, *pictæ* ſub imagine *chartæ*,
" Et *geminos* ſimulans *cubos* aſtutior Hermes,
" Divite continuô Pactoli flumine inaurat.
" En! tibi quot ſacri pandunt Helicona poetæ!
" Quos ingens virtutis honos, et honeſta bonorum
" Laus et amor, rapit ad dulces ante omnia Muſas,
" Quarum non odiis, irâ, invidiâve, vel *auro*
" Proſtituunt Decus: ah! quoties per florea Pindi
" Rura, per irriguas valles, et roſcida Tempe,
" Threiciâ cincti citharâ, vetulæque ſeneſque
" Cum muſis gaudent ſaltare, et dulce canentes,
" Carpere lilia *cana*, *ſoporiferumque* papaver?
" Non fœdos labor eſt per montis inhoſpita vepres
" Cogere, ut innocuis petulanti carmine nymphis

*LEARNING *is better than Houſe and Land.*

" Vulnera dent; non quæ ſatyrâ nocet acrior omni,
" LAUDE fovent, propriiſque attentas plauſibus aures
" Crudeli mulcent luxu, dulcique veneno:
" O præclara quies! ſacra otia! digna Catone,
" Scipiadâque coli! placido quâ condita portu
" Poſt varias vitæque vices, fatique procellas,
" Non ludo, aut nugis, vitia aut aliena loquendo,
" Non chartarum inter fraudes, fœdæque Lavernæ
" Turpe miniſterium, non de tibicinis arte
" Arbitriove novæ miſcendo bella choreæ,
" Sed breve, quod ſupereſt, ducendo leniter ævi,
" Dum licet, et lapſæ reparando errata diei,
" Occiduos claudit ſoles TRANQUILLA SENECTUS.
" O devota piis Hymenæi mœnia vinclis!
" Quâ ſimul agreſtum cum moribus Armigerorum,
" Sedibus antiquis, et triſti rure relicto,
" Fœmina virque novis ſeſe exornare laborant
" Certatîm ſtudiis; hic luſibus invigilando
" Quærit *opes et Amicitias*, dum provida conjux

" Reſpondet curis, ardetque augere *peculi*
" Quicquid habet, tortoque ſimul cum crine, genarum
" Languentes rénovare roſas, tonſore magiſtro,
" Atque alios quos culta docet gens Gallica mores
" Diſcere, non viles quas vita domeſtica curas
" Poſtulat; at ſumptu generoſo excellere, et artes
" Quæ ſponſi relcvent animos, et tædia fallant
" Conjugii, votis exoptat ſola doceri.
" O ſacra Virginibus ſedes! quas ipſe tuetur
" Mos Geniuſque loci! crimen quibus ire nefaſque
" Horrendum (niſi *matronâ comitante decenti)
" NOCTE choros; at MANE quibus fiducia tanta eſt,
" Ut quâcunque pedes rapiant, libet incomitatum
" Carpere iter; longo plateas ſeu verrere peplo,
" Sylvicolaſve inter Faunos, per rura vagari
" Fert animus, juvenum ſeu turbas inter equeſtres,
" Automedonteæ tunicatas more catervæ
" Dura reluctantis moderarier ora caballi—

* Gallice Chaperon.

" *Uſque adeo curſus nullo compeſcere vinclo
" Convenit, *ingenioque* ferās imponere ſoli,
" Quas Tu—ſed tali meritas pro carmine, vates,
" Accipe, damnatus muliebri judice, pœnas,
" **Quandoquidem**, *ante Oculos Divûm, ſcelerate, Timorem*
" *Nullus habens, ſed Fraude, et Dæmonis incitus Irâ,*
" *Occultè, contra Pacem, formanque Statuti*
" *Proviſam, Capiti quaſdam divellere plumas*
" *Fœmineo, atque omnes turpi infamare Libello*
" *Auſus es*—HÆC DICTA EST TIBI LEX—Ut protinus, iiſdem
" Ipſe quoque in Plumis, piceoque imbutus amictu,†
" *Barbarici* ductus per compita more *Triumphi,*
" Ludibrium pueris, et Declamatio fias,
" RARA AVIS IN TERRIS, NIGROQUE SIMILLIMA CYCNO:
" Baiarum quin pulſus aquis, et dulcis Abonæ
" Flumine, Lethæos ibis, ceu Thracius Orpheus,
" Flebilis umbra lacus; Dircæive inſtar Oloris,
" Cum chartis, calamiſque, atque omni ubicunque **Librorum**

* *Anglice*—Let all their Ways be unconfin'd,
And clap the Padlock on the *Mind*.

† Tar'd and feather'd.

" *Faſciculo*, Hâc totâ coram præſente coronâ,
" Cœrula Pindarico tranabis nubila tractu,
" Miſſus ad aſtra ſago Vates—DUX FŒMINA FACTI."——

Tu tamen, O dilecte comes, (dum fata ſinebant)
Junctus amicitiâ, caſu quoque junctus eodem,
Cum me fœmineis correptum turpiter ulnis,
Et lacerum ora, comaſque, inhoneſto vulnere cernes
Nympharum manibus, vetularumque unguibus uncis;
Aptâ licet videar, nec non jucunda, fatebor,
Materies, lepidæ quam det tua dextra tabellæ,
Tu tamen infauſti faciem miſeratus amici,
Parce, precor, calamo, tabuliſque abſiſte facetis;
Quin tibi disjecti membra infelicia vatis
Colligere, et linguas BAVIORUM arcere malignas
Cura ſit; et ſtudii ſerva communis amorem.

DABAM BATHONIÆ,
Anno ineunte M.DCC.LXXVII.

C. M.